

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN GENERE.

CAPUT I. De Constitutivis Sacramentorum Novae Legis.

§. I. Praenotanda de essentia et numero Sacramentorum Novae Legis.

1. Nota I. Sacramentum Novae Legis est *invisibilis gratiae visibile signum ad nostram sanctificationem divinitus institutum*. Ita Catechismus jussu *Pii V.* editus, et Catech. *Petri Canisii*. Convenit haec definitio quoad rem cum aliis definitionibus, quae in Theologia Scholastica tradi solent, item cum illa *Trid.* Sess. 13. c. 3. *Symbolum rei sacrae et invisibilis gratiae forma visibilis*. Ex data definitione tria requiruntur ad verum et proprium N. L. Sacramentum: 1. debet esse *signum visibile*, h. e. sensu externo perceptibile, tum quia Sacramenta sunt instituta propter homines, qui ut plurimum in operando dependent a sensibus; tum quia administratio et perceptio Sacramentorum maxime pertinet ad cultum Dei exteriorem, quo cultum Dei interiorem profitemur. Denique ut ait *S. Aug.* in Psalm. 73. et L. 19. contra Faustum c. 11. *Divinae visum est sapientiae, mortalium se imbecillitati accommodare, suamque virtutem per quasdam externas res, et signa, quae sensibus percipiuntur, exercere*. 2. Debet esse signum *efficax gratiae*, quia ad sanctificandum hominem est ordinatum. 3. Debet esse *divinitus a Christo institutum*, nemo enim gratiam sanctificantem signis naturalibus annectere potest, nisi auctor naturae et gratiae. Eatenus autem juxta *S. Aug.* Epist. 23. et de catechiz. rud. c. 26. dicuntur signa, *quatenus externa quadam specie et similitudine id nobis referunt et declarant, quod per ipsa Deus nobiscum invisibiliter et spiritualiter operatur*. Sic in baptismo exterior ablutio quae sordes corporis purgat, efficax est symbolum interioris ablutionis a peccato originali et actualibus, si quae ante baptismum commissa sint.

2. II. Septenarius Sacramentorum numerus constat ex ss. PP. perpetua traditione et praxi Ecclesiae. Hinc recte *Trid.* Sess. 7. C. 1. de Sacram. in gen. *Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit*. Septenarius Sacramentorum numerus hoc carmine continetur:

Abluo, firmo, cibo, poenitet, ungit, ordinat, uzor.

3. III. Inter haec Eucharistia dicitur Sacramentum *permanens*, quia post actionem qua conficitur, manet; caetera vocantur *transeuntia*, quia non manent, sed transeunt cum actione qua fiunt; probabilius etiam Matrimonium est transiens in ratione sacramenti, licet permaneat quoad vinculum: contrarium sentit *Sporer* cum aliis. Alia quoque dicuntur *sacramenta mortuorum*, scil. Baptismus et Poenitentia, quia per se et ex institutione sua spiritualiter mortuis, h. e. in peccato mortali existentibus, applicantur, sive quia per se gratiam primam, quae est vita animae, conferunt, quamvis per accidens saepe gratiam secundam conferant. Reliqua quinque vocantur *sacramenta vivorum*, quia ex institutione sua et per se applicantur spiritualiter vivis, h. e. in statu gratiae existentibus, adeoque supponunt gratiam primam, cujus augmentum ipsa conferunt, et hoc dicitur

gratia secunda. Alia denique vocantur *characteristica et initerabilia*, quae characterem animae imprimunt: de his *Trid.* Sess. 7. Can. 9. de Sacram. in gen. ita statuit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*. Reliqua quatuor characterem non imprimunt, et iterabilia sunt. Denique Sacramenta dicuntur *Formata*, quae in suscipiente actu causant gratiam; *Informia*, quae hunc effectum actu non causant, dum suscipiuntur, eo quod ex parte suscipientis ponatur obex, sive impedimentum, v. g. si adultus baptizaretur, quin prius eliceret fidem, aut dolorem de peccatis actualibus.

4. IV. Quando hoc loco loquimur de materia et forma Sacramentorum, non intelligitur materia et forma stricte physice talis, sed per materiam intelligitur illa pars Sacramenti, quae est magis indifferens et determinabilis ad rationem sacramenti; per formam vero illa, quae alteram determinat ad certam significationem et esse Sacramenti. Porro materia Sacramenti alia dicitur remota, alia proxima: *Remota* est illa, circa quam exercetur actio sacramenti, sive est res illa, quae in sacramento applicatur; *Proxima*, sive ex qua, est ipsa materiae applicatio: sic materia *remota* Baptismi est aqua; *proxima* affusio aquae: verba vero *ego te baptizo* etc. sunt forma; affusio enim aquae de se non significat ablutionem animae spiritualem, determinatur autem ad hanc significandam per verba Baptismi. Unde patet, quod Sacramentum hic sumatur *per modum* compositi physici; si enim sumatur per modum compositi artificialis, res et verba simul se habent instar materiae, significatio vero eorum, ut Christus eam intendit, se habet instar formae. Ita *Busemb.* hic dub. 2.

§. II. Principia generalia de constitutivis Sacramentorum.

5. *Principium I.* Omnia Sacramenta N. L. constant rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma: patet ex *C. Flor.* in Decreto unionis: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Ideoque materia et forma (prout determinatae sunt a Christo pro singulis sacramentis, et adhibentur ab Ecclesia catholica) ita sunt de necessitate Sacramentorum, ut horum uno deficiente non fiat Sacramentum. Ratio est: quia nemo aliter potest conficere Sacramenta, nisi eo modo quo Christus ea instituit; hic enim est solus auctor Sacramentorum, ut patet ex *Trid.* l. c. n. 2.; atqui instituit ea, determinando pro singulis certam materiam et formam: ergo. *Min.* Probabitur, dum agemus de singulis Sacramentis in specie. Probatur etiam ex perpetuo usu in Ecclesia, ideoque habetur traditio apostolica secundum regulam *S. Aug.* de Bapt. *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*. Confirm. ex *Trid.* quod Sess. 21. C. 2. ita habet: *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret*. Infert *La Croix* L. 6. p. 1. n. 9. ergo manifeste innuit, Sacramenta constare determinata substantia, scil. rebus et verbis, quae nequidem ab Ecclesia possit mutari, has autem res et verba declaravit *Florent.* Sess. ult. in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos. *Dixi, prout determinatae sunt a Christo* etc. Non enim eas determinavit in omnibus aequaliter, sed in aliquibus in specie

infima, ut in baptismo *aquam elementarem* cum verbis Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris* in aliis vero generice tantum, sive in specie subalterna, ut in Sacramento Ordinis, pro cuius materia determinavit ritum quemdam significativum illius potestatis, quae per ordinem confertur. Objectiones passim vide in Theol. Scholast. solutas, item apud *La Croix* l. c. et *Babenst.* t. 8. p. 1. D. 1. a. 2.

6. *Princip. II. Toties invalide, vel nullum, conficitur Sacramentum, quoties materia vel forma mutatur essentialiter: valori vero non obstat mutatio materiae vel formae tantum accidentaliter.* Ratio primi est: quia dum adhibetur materia vel forma substantialiter mutata ab ea, quam Christus instituendo sacramenta determinavit, non adhibetur id, quod Christus ad significandam et conferendam gratiam ad Sacramentum elevavit: ergo nec conficitur Sacramentum. *Confirm.* Sublata parte essentiali necesse est tolli essentiam totius: atqui mutata substantialiter materia vel forma sacramenti tollitur pars essentialis: ergo. Ex his ratio secundi patet: quia in naturalibus et artificialibus potest fieri mutatio accidentaliter, quin mutetur vel tollatur essentia, ergo a pari in sacramentis: sic mutata aqua elementari frigida in calidam manet essentia aquae; ergo manet illa materia, quam Christus determinavit pro Baptismo.

7. *Mutatio materiae tunc censetur essentialis*, si vel *physice* et *entitative alia* adhibeatur v. g. vinum pro aqua in baptismo; vel *moraliter* et *theologice alia*, quando scilicet mutatio tanta est, ut secundum communem usum et aestimationem hominum differat ratione et appellatione ab ea materia, quam Christus praescripsit, v. g. si in Eucharistia adhibeatur massa quaedam cruda ex aqua et farina; quamvis enim haec sit physice et entitative panis, non est tamen theologice et moraliter, *Suar.* in 3. p. tom. 3. D. 2. Sect. 4. addit *Laym.* l. 5. t. 1. c. 4. n. 4. Cum sacramenta sint signa moralia, et ipsorum materiae in ordine ad actiones humanas a Christo sint determinatae, ideo pro cognoscenda sacramentorum materia, potius ad moralem ejus usum et acceptionem, quam physicam plerisque hominibus ignotam formam sive naturam, oportet attendere. Tunc vero mutatio materiae *accidentaliter* dicenda est, quando mutatio fit tantum secundum qualitatem aliquam, salva substantia, ita ut materia retineat simul eundem usum, idemque nomen cum materia, quam Christus determinavit, et Ecclesia adhibet; quamdiu enim materia juxta moralem aestimationem adhuc retinet eundem usum et appellationem cum materia a Christo determinata, tamdiu etiam retinet elevationem ad rationem partis Sacramenti; ergo non est alia essentialiter, sed accidentaliter. Juxta *La Croix* mutatio accidentaliter etiam fit, quando non quidem alia materia, quam Christus instituit, alia tamen contra praeceptum Ecclesiae adhibetur, v. g. si in Baptismo solemniter adhibeatur aqua non benedicta, vel si sacerdos Latinus consecrat in pane fermentato.

8. *Illam mutatio formae est substantialis*, quae tollit sensum et significationem verborum, quam Christus intendit. *Illam vero est accidentaliter* tantum, quae sensum verborum a Christo intentum relinquit. *S. Th.* 3. P. q. 60. a. 8. in corp. Mutatio formae potissimum octo modis potest contingere. 1. Per variationem idiomatis, v. g. si forma latine proferenda enuntietur germanice. 2. Per substitutionem vocis aequipollentis vel synonymae. 3. Per transpositionem verborum. 4. Per interpolationem, quando Minister post prolata verba priora formae aliquid aliud impertinens agit vel loquitur, et postea reliqua subjungit. 5. Per additionem. 6. Per subtractionem syllabae, vocabuli vel integri sensus. 7. Per corruptionem verborum, v. g. dum quis non emendate loquitur, sed errorem committit. 8. Per substitu-

tionem scripturae, nutus vel alterius signi in locum verborum vocalium. Unde quoties per unam ex his mutationibus tollitur sensus et significatio verborum, a Christo intenta, tollitur essentia formae; sensus enim verborum, ut a Christo intentus, est quodammodo anima formae; manente autem hoc sensu, nihil tollit verborum substantiam. Recte hic addit *Babenst.* l. c. n. 25. pro praxi observandam esse traditionem, consuetudinem, et usum Ecclesiae, ideoque omnem mutationem materiae vel formae, quae juxta traditionem et usum Ecclesiae non destruit Sacramentum, habendam esse certo pro accidentaliter tantum, eo quod illa tanquam columna veritatis in hac doctrina fidei errare non possit. De singulis mutationibus infra in resol. cas., quae his versibus comprehenduntur:

*Nil formae demas, nil ponas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba morare.*

9. *Principium III. Qui materiam et formam Sacramenti sciens ac volens, vel saltem ex culpabili negligentia substantialiter immutat, graviter peccat contra Religionem:* quia Sacramentum irritat, et gravem infert injuriam tam Christo instituenti, quam homini suscipienti. *Qui vero delibere et extra casum necessitatis accidentaliter tantum mutat materiam vel formam, etiam peccat graviter, si mutatio sit notabilis; venialiter vero, si notabilis non sit;* quia talis agit contra mentem Ecclesiae severe praecipientis, ut materia et forma sacramentalis accurate servetur. *La Croix* l. c. n. 40. et 41. Mortaliter etiam peccat, qui conficiendo Sacramentum adhibet materiam dubiam, si possit haberi certa; quia sic valor Sacramenti et salus proximi exponitur periculo. In casu autem necessitatis, si materia certa haberi nequeat, adhibenda est dubia, quia salus omni quo potest meliore modo procuranda est. Extra casum necessitatis non adhibenda est materia dubia, sed omittenda confectio Sacramenti.

10. *Princip. IV. Ut valide conficiatur Sacramentum, debita requiritur conjunctio inter materiam et formam, ita ut existant simul moraliter*, h. e. ut spectata cujusque Sacramenti natura verba prudenter censeantur cadere supra materiam, et cum illa unum signum totale constituere. *Bonac., Conink.* Ratio est, quia alias non verificatur forma, nec fit compositum morale, cum tamen Christus ita instituerit sacramenta (sicut patet ex praxi et usu Ecclesiae) ut prolatio formae cum applicatione materiae censeatur una moraliter actio. Dixi, *spectata cujusque Sacramenti natura.* In confectione enim Eucharistiae forma consecrationis, et materia debent physice coexistere; quia *hoc*, et *Hic* tanquam particulae demonstrativae eam ut praesentem significant, ita ut non verificarentur, nisi materia eodem tempore physice praesens esset, ut ait *Reiffenst.* in Theol. mor. t. 14. dist. 1. n. 29. In Baptismo autem, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine requiritur talis conjunctio simultanea materiae et formae, ut dum Minister formam enuntiat, censeatur simul abluere, ungere etc. ad hoc sufficit, ut forma saltem secundum aliquam partem physice coexistat materiae proximae. Ita *Richardus* in 4. Dist. 3. a. 4. q. 2. Ratio est: quia sic sufficienter verificatur verbum de praesenti. Haec sententia in praxi tutissima est, eam tamen cum *Rich., Suarez* non necessariam vocat: unde et scrupulosi se possunt juvare, dum anxii sunt, an aliquanto serius aut citius pronuntiarint formam. In poenitentia potest absolutio dari notabili tempore post confessionem; quia hoc Sacramentum institutum est per modum iudicii; in iudicio autem sententia fertur post cognitionem causae. In Matrimonio consensus vel acceptatio unius conjugis potest tamdiu differri, quamdiu censeatur permanere consensus alterius; quia Matrimonium sequi-